ORATIO

De præsumptione & desperatione, morum & studiorum impedimentis.

A
M. Laurentio Swiczkowic Smiałecki.
Philosophiæ Doctore & Professore,
In Alma Academia Cracouiensi Anno Domini, M DC. XXIV, Die 1. Aprilis.

Artium liberalium & Philosophię Baccalaureorum
Promotore
Habita.

A Philosophica Facultate antè reuisa, & approbata.

CRACOVIÆ,
Anno Domini, 1626.



IN ARMA DVCVM

Illustrisimorum Zaslauiensium.

Paucos quos ardens euexit ad æthera Virtus,
Qui illos miraris, stemmata cerne rogo.
Stēmata clara Ducū, quos Zaslavv gignit & Ost-
Sunt hæc, quos solus Iupiter æquus amat. (rog,
Iupiter æquus amat, quid amat? super æthera tol-
Illos, id fantur sidera victa polo. (lit
Sidera victa polo volucri superante sagittâ,
Quæ super almorum fert diadema Ducum,
Testantur, quòd habent sedem Mars, Pallas, Ap-
Ostrog in & Zaslavv sedibus eximijs. (ollo,
Diua domus, diuûm quæ fulges numine trino,
Atq; polo, atq; solo, magno & honore Ducū.
Viue, vige, flore, splende, luce, rege, regna,
Vnus dum trinus regnat in orbe Deus.

Illustrissimo Domino,

D. DOMINICO DVCI IN OSTROG ZASŁAVIENSI,

Comiti in Tarnow, &c. &c.

Illustrissimi ac Magnifici Domini,

D. ALEXANDRI DVCIS ZASŁAVIENSIS,

Palatini Bracłauiensis, Filio.

M. Laurentius Swiczkowic Smiałecki, S. & F. P.

IMMORTALITATEM apud mortales Marte & arte comparari, Dominice Princeps Illustrissime, multarum peritus rerum non imprudenter quisq; iudicabit. Nec immeritò. Vt namq; exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit, immensum gloriæ: Ita non alijs, quàm sago togáq; medijs confici illud omninò voluit. Rem haud secùs esse, clarissimis monumentis testata consignatáq; antiquitas proloquitur. Neq; etenim Hercules illi, Agamemnones,

nes, Teucri, Achilles, Hectores, Vlysses, Alexandri Magni, Scipiones, Iulij, Augusti, & alij innumeri heròës, non spiritu, sed virtutis laude æternùm superuixissent, nisi Camœnæ & Bellonæ factis immortalitatis, non ætatis insignes claruissent. Vtroq; genere immortalis gloriæ, Princeps Illustrissimus, Heros incomparabilis, Parens tuus inclytissimus, longiùs, quàm vitæ termini postulant, spe atq; animo de sua suorumq; auorum & nepotum, memoria nominis sempiterna cogitans, te literis & armis inter Sarmatas excellere optat. Dum verò ita ille; non modò non veterum institutioni illaudatæ Megistanum subscribit; verùm sapientissimè simul ac prudentissimè intelligit, quod etiam

Hoc ipso stetit, & stabit Respublica nostra.

Insuper commeminit te, in virorum sua ætate peritiâ artis militaris & Palladicæ cunctorum existimationem suâ famâ obscurantium Ducum in Ostrog locum, hæredem succedere. Ergò nil non facit, nil non meditatur, quo in te vno superstitem domum illam, quæ antiquitate & celebritate sua non in Sarmatiam totam sese diffudit & sparsit; ast in alias quoq;

———— vltimas
Extendit oras; quâ medius liquor
Secernit Europen ab Afro;
Quâ tumidus rigat arua Nilus,

illustrare, adornare, perpetuare queas. Nec vana spes habet eum, dum genij ingenijq; præstantis tui specimina singularia profers; & virtutis ac doctrinæ profectus laudabilis, non dicam scintillæ, sed lumina elucere ex te conspiciuntur. Quæ ego hac in ætate florenti tua admiratus, si non calcar addere proficienti, vel congratulari apud me constitui. Congratu-

landi

landi porrò non aliam materiã, quàm hanc de præsumptione & desperatione, in virtutibus & literis, impedimẽtis grauissimis, Orationem volui esse. Non quòd aliquãdo in aliquod horum (Deus auerruncet) impingas; sed vt, tanquam in speculo præsens seculum, doctissimis quidem refertum viris apparens, rarissimos tamen solidè vereq́; eruditos enitens, cõtempleris: Contemplatus, te, à vulgo, vt genere summo, sic institutione morum & scientiarum sublimi, alienum debere fore existimes. Nam vt sol alia astra lumine; ita tu virtute & doctrina reliquos superare debes. Et superabis sanè synchronos tibi, vereresuè illos (non fallor augur) adęquabis, Flaminium clementia, Mitrydatem iucunditate, Sullam liberalitate, Scipionem authoritate, Valerium humilitate, Pompeium pietate, Attilium sinceritate, Metellum famâ, Scæuolam fortitudite, Cambissem iudicio, Curium amore in patriam, Ostrouios maiores tuos Duces gloriã, vbi te in parentis Illustrissimi tui, & præceptorũ Academicorum optimarum artium notitiâ politorum, arbitrium sanumq́; iudicium lubens libensq́; informãdum concesseris. Quod vt facias, Respublica ipsa Polona, Domus tua Regibus proxima, expectatio aui, parentumq́; tuorum inclytissimorum, & gloria immortalis posteritatis expostulat. Vt verò hanc lucubrationem meam in Academia Cracou. dum in Artium & Philosophiæ lauream Candidatos promouerem, declamatam, nuncq́; typis in lucem, à luce tua illustrari cupientem, mandatam, serenissimo excipias, perlegasq́; vultu; meq́; in tuorum seruitorum habeas numero, vehementer oro. Vale Ducum in Ostrog & Zaslauiensium singulare decus. Ex musarum domo Metropol. Leop. Die 15. Aprilis, Anno Christi M. DC. XXVI.

ORATIO

ORATIO

De Præsumptione & desperatione, studiorum impedimentis.

CONSPECTVS hic omnium Vestrum in quæsita mihi hactenùs non exïguo tempore, non mediocri meo labore, dicendi materiâ, hoc in augustissimo Musarũ Septẽtrionis totius emporio, sub hac cœli facie verna mihi luce iucũdior gratiorq; àpparet, Auditores. Tãta etenim ex vestro vultu, frõte, oculis, veluti quìbusdã simulachris ingeniorum pulchritudo ac decus prodit enitetq;, vt nutantem adhuc meam ad se orationem rapiant, animumq; dubium confirment: & quoniam dicendum, non nisi de ingeniorum culturam & præstantiam impedientibus impedimentis me dicere patiamini. Quæ res profectò eò mihi gratior esse debet, quòd

nihil poteſt eſſe optabilius, nihil hoc loco, hoc tempore conuenientius, quàm vt eam, quam propè incredibili Dej immortalis beneficio colendã poſſeſsionem accepiſtis, copioſiſsimo locupletatã fructuum omnium genere, atq; admirabili rerum varietate ornatam, amplificatamq́; conſeruetis; Veſtrumq́; ſtudioſa iuuentus imitata, quod præ oculis viuum videt & habet, exemplum, à cultura eius & maturitate, nec abripi, nec impediri patiatur. Vobis etiam, vt exiſtimo, non iniucundum erit audire, ſi ea, quæ rem omnium, quæ hic orbis amplectitur, longè pulcherrimam magnificentiſsimamq́; opprimunt, oratione perſtrinxero: neq; verò debere opprimi eam rem, quæ quò vehemẽtiùs vnumquenq; ſua ſpecie in ſui admirationem rapit ac capit, eò maiorem vobis ac planiorem lætitiam afferre debet, quod veſtra ſit. Quid? Ita, inquam, veſtra, vt cùm Deus immortalis ampliſſimum hoc terrarum orbis imperium homini dederit, ingenium tamen illi vnum, præter cætera ſingulari quadam beneficentia dediſſe videatur. Cuius eam eſſe naturam, eam naturæ vim inſitam quis mentis optimæ negabit? vt quantum illius eſt dedecus, & tenebræ, ſi aut doctrinarũ omniũ luce careat, aut cæteris virtutum ornamentis de-

ſtituatur,

stituatur, tantum in eo lumen, ac tanta maiestas eluceat, si neq; vlla rerum præstantissimarum ignoratione inobscuretur, neque vlla vitiorum labe contaminetur. Nam cùm & cœlestes illi globi, nescio, quo cieantur impulsu, quem neq; sistere vlla ex parte possunt, neq; retro agere, & non modò ea, quæ sensu interiore vigent, verùm etiam quæ suis nituntur stirpibus, ea hauserint à natura atq; expresserint, quæ in suo genere perfecta sint omnia. Ita in homine quiddam, quod scientia cultum, quod virtute perfectum esset Deus gloriosissimus ingenerauit, quodq; ita cæteris naturæ quasi miraculis antecelleret, vt se ille vnius hominis opificem mallet, quàm tot ac tam variarum rerum procreatorem videri. Quippè hoc vnum vt Isocrates dicebat τῶν πάντας mortales efficit: Hoc vnum immortales reddit vt scitè vates.

Singula ne referam, nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingeniiq; bonis.

DE huius ergo in profectu impedimentis disputare institui, ita vt studiosos excolendorum ingeniorum, neq; præsumere debere, cùm nihil profecerint in moribus & artibus, neq; se profecisse cùm plurimùm possint, vnquam desperare non minùs breui, quàm aperta oratione mea commo-

neam. Vos Iuuenes Nobilißimi, quorum hæc res agitur in præceptorum vestrorum & amplißimorum virorum hoc conspectu grauißimo, vela orationis meæ Fauonijs beneuolẽtiæ vestræ afflate & propellite, idemq; & Vos amplißimi & doctißimi Viri, qui vel ingenijs currentibus iuuẽtutis laudis immortalis calcar subditis, vel iam in moribus & disciplinis ingenuis proficientia exornare hùc conuenistis, vt faciatis, vehementer oro. Cúm diligenti apud me trutina modũ in optimis litteris proficiẽdi perpẽdo, Auditores, omnes omnis augustioris ac solidioris doctrinæ viros, qui nunquam remotos mentis oculos ab exacta docendi ratione habent, duobus præcipuè iuuentutis instituendæ vitiis, & se suo mœrentes officio defraudari, & proposito fine lætos non gaudere posse, reperio: alterum est diffidentia, præsumptio alterum. Perniciosißimum vtrumq; profectò malum: Quippè quidquid boni virtus & eruditio mortalibus adferre potest, id totum hoc vtrumq; radicitùs tollit. Calamitosißimũ vtrũq; appello vitium, quod si ad studium proficiendi, tanquam ad Heraclium lapidem, vel medium aliquod, non conformatur, sed vel illud excedit, vel ab illo plurimùm deficiendo recedit, actum de

quorumuis optimorum adoleſcentum optimo ingenio. Quid ita? Vbi enim aliquod animis iuuenum inſederit, ac radices egerit, non progredi, ſed regredi; non proficere, ſed deficere, eos omnino expedit: Vbi vtrumq; neq; tantùm abſit progredi vel deficere, ſed neq; deficere, neq; regredi etiã poſſunt. Naufragium pati ingenium, qualequale illud ſit, & perire, eſt neceſſe. Dicenti mihi ea, venit illud in mentem Scyllam, ſiue ita natura illud comparauit monſtrum, ſiue vitio quodam, vt diuini, ſi diuini (hoc enim ſibi arrogant nomẽ) fabulantur Poëtæ, in formam illius mutata fœmina pernauigantibus æquor, ſi non naufragio, periculo certè maximo eſſe. Prudens fuit Vlyſſes,

Multorum mores hominum, qui vidit & vrbes,

at eam tutò cum illa claſſe ſua ſociiſq; præterire nequaquam potuit. Sed enim ego cimbam in ſtudio agentibus ingeniis, ſi vel vni, quod periculoſum, vel vtriq;, quod periculoſius, vitio applicuerint, ſi non naufragium, certiſsimum diſcrimẽ augurari, imò polliceri poſſum. Scyllæ ſunt, Syrtes ſunt, Charybdes ſunt & ſcopuli ingeniorũ Encyclopediam virtutum & artium bonarum, tanquam aliquod mare percurrentium, aut diffidere, aut, confidere nimis de profectu ſuo. Hinc namque

 fit

fit, vt neq; excellentes velint, neq; esse posint: Hinc fit, vt GLORIA, -------

---- *fax mentis honestę*

restinguatur. Rem se ita habere luce clariùs constabit, dum singula hæc mala singillatim persequar & ostendam. Atq; vt indè. Res equidem ardua supra omnem modum atq; difficilis esse videtur, vt quis ad optatisimum scientiarum culmen perueniat, &

pauci, quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,

id assequi potuerunt: non tamen ideò desperandum, aut animo deficiendum est: Verùm illud semper animo voluendum, atq; cogitandum. Nihil tam arduum aut difficile reperiri posse, quò facilè virtus inflammata non aspiret: Neq; quidquam tàm altè posuit natura, quò studium & amor eniti non posit, &

Late conspicuum tollere verticem,

Natũra ita comparatum est omnibus in rebus, vt quæ in quoq; genere præstantisima sunt ac honorificentisima, ea maximas etiam secum annexas difficultates habeant & ferant, adeò vt illud verũ sit δύσκολα τὰ κάλλα. Sed animi fortitudo atq̃; cõstantia nullam omninò difficultatem perhorrescit,

nullam

nullam asperitatem pertimescit: quin potiùs ipsi honestatis & gloriæ causa, quæ virtutis amplissima sunt prœmia, quemuis durum immensumq́; laborem subire non recusat, imò à ferendo se non excusat. At proh dolor plurimi sunt, qui aut humilitate animi, conatus suos frangunt vel retardant, aut laboris fuga nihil amplum in diuinarum humanarumq́; rerum cognitione propositum, nihil magnificum intuentur.

Quàm miseros tramite deuio
Abducit desperatio!

Satis, inquiunt, nobis est leuis quædam scientia, summam illam & profundissimam, & quæ vix paucis magno labore, ingenio magno contingit, sapientiæ gloriam nihil moramur. Quid opus est istâ nimiùm exquisita ac profunda rerum notitia, si indocti nos, cùm disserimus, admirantur, sapientes intelligunt? Rectè tu quidem, quisquis es, rectè, inquam, si tamen vis esse vnus de populo, si nullũ appetis sapientiæ culmen, nullum vitæ splẽdorem desideras, nullam famæ commendationẽ curas: Rectè inertiam tuam ignauo Saturni aspectus sydere prætexis despicientiâ huiusmodi gloriæ: Sin autem id rectiùs & sapientiùs esse iudicas, magisq́; ad dignitatem tuam pertinere, vide

nè tibi ipsi blandiaris, & in iudicando non sequaris rationum pondera, sed propensionem mollis animi tui. Scientijs cognoscendis operam nauas? ita est. Vis haberi doctus? etiam. Pulchrum esse ac præclarum putas quidquid velis, cognoscendo scire? maximè. At quę est ista sapientia, velle aliquod maximum, & aliquem sibi statuere in eius magnitudine modum? vt velle quidem ex vna parte, ex altera nolle videaris, & res ipsa ab oratione dissentiat? Statuendum est semel tibi, si vis proficere, vt velis, neq; spem deijciendam. Cogitandum tibi leues esse homines, ignauos, miseros, quos quædam magis terrent, quàm debeant quædam antè terrent, quàm debeant, quædam deniq; terrent, cùm omninò non debeant. Sibi ipsi augent timorem, aut præcipiunt, aut fingunt, sciunt tamē ab immortalibus labore vendi omnia mortalibus; eundemq́; fieri assuetudine leuiorem, nec compensari tantùm boni adeptione, sed etiam spe adipiscendi. Vis igitur proficere? dic illud cum Pöeta,

Odi homines ignaua opera Philosopha sententia,

simulq́; studium cum ipsa re iungas; negligentiā diligentiâ, ignauiam labore, mollitiem animi duritiei tollerantiâ insequaris oportet. Quidam an-

tiquorū

quorum monimen ta diligenter aliquando legentes in admirationem illorum rapti, tantam illis in omni artium genere laudem tribuendam esse censent, vt nullum sibi posterisq; suis ad famam & gloriam relictum esse campum arbitrentur, & idcircò spem suam intercludunt. Duco ego quidem, vt semper verissimum esse duxi: Res maximas summasq; artes & iuuentas acutissimè, & tractatas ornatissimè, ad nos á veteribus peruenisse: Sed nulla ratione probandum puto, non eorum nos vestigijs insistentes vel parem nobis laudem posse, ex eodem illo antiquorum studiorum curriculo vindicare: si non inuentis à nobis ipsis nouum laudis nomen comparare. Neque sanè quidquam caussæ, quòd nostros conatus queat reprimere ac impedire: quod si aliqua est, eam profectò, vel ab ingeniorum nostrorum imbecillitate, vel certè à rerum cognoscendarum multitudine proficisci existimandum. Quibus tantùm ex rebus, impedimentum vllum nobis parari posse quisque non ineptè affirmabit. Nam vt de ingenijs primùm dicam, quorum hebetatam aciem esse, ab ipsa quasi natura defatigata, quidam conqueruntur; quid est tandem caussæ, cur natura hoc tempore tardiora, quàm olim, humana ferat ingenia? At natu-

ra certè communis omnium parens, in omnibus ſuis rebus obeundis, admirabilem conſtantiam, incredibilem quandam æquabilitatem, immutabili prorſùs æternitate tueri ſolita eſt. Equidem dum contemplamur venerandam illam ſplendidiſſimorum corporum cæleſtium faciem eandẽ eſſe, eandem eſſe motuum variorum ordinatiſsimam diſpoſitionem, eandem naturalem eorum conuerſionem, eoſdem illorum luminarium, quæ viciſſitudini minimè ſunt obnoxia, itus & reditus, reperimus. Cùm vniuerſum cœlum, vt antè, nunc torqueatur; cùm ſol & reliqua aſtra, nunc etiam lunæ concauo gremio omnia concepta, clariſsimà, vt quondam luce colluſtrent, cùmq; item eadem omnium rerum naturæ ſint elementa; cũ denique cætera, quæ longe maxima ſunt eodem, quo antehac modò oriantur & occidant. Cur igitur homines aut ad inueniendum hebetiores, aut ad intelligendum tardiores natura hoc tempore, quàm anteà procreârit? Satis nec mirari, nec intelligere poſſum. Scilicet non eſt tam laſſa & effœta natura, vt nihil iam laudabile pariat, doctiſsimo autore Plinio. Quid pergo? Teſtes vos ego appello naturæ indagatores ſolertiſsimi, qui à veſtro & omnium rectè Philoſophantium principe,

quid

quid dico principe? ipso totius naturæ oculo perspicacissimo (scitis benè quem intelligo) edocti, accepistis eadem princìpia rerum generationi & corruptioni subiectarum, de quibus dum viueret, docebat, & vitâ functus scripta sua diuina de ijsdē vobis legenda reliquit. Testes vos appello rerum cœlestium speculatores diuinissimi, qui syderum eosdem sæpè redire situs, eadem themata aliquando, quæ priscorum temporibus Astronomorum esse contingebat, contingere in natalibus conspicitis. Si ita est, quemadmodum est; Parens artium antiquitas, æquè posteritatis ingenia ex ijsdem principijs, sub fælici sydere quoq; nasci felicia libenter concedet. Neque in labris meis hæc nata sententia, in fibris ipsius rei naturæ,

Credite me vobis folium recitare Sibyllę.

Quid vltra? Iam credo, nihil tam arduum, tam difficile, tam inuium esse, quod non ingenio se quisquam consequi, non percipi posse existimabit: Neque si ingeniorum & agrorum rationem diligenter considerabit, non eandem esse iudicabit. Quemadmodum enim fæcundissimus ager, nisi quotidiana exerceatur cultione, siluescit: Sic optima ingenia, quæ nunc etiam plurima generari contingit, nisi perpetua exercitatione excolātur,

exarescant penitùs est necesse. Quinimò ingenia exculta copiosiores fructus, quàm agros proferre quis dubitabit? Agrorum enim virtus, aut cæli temperatione commutatur, aut temporis diuturnitate imminuitur: ingeniorum vires nulla ratione prorsùs, nisi fortè socordia vel fracta spe animi proficiendi, debilitantur, franguntur, opprimũtur. Huc accedit, non, vt aliarum rerum omnium, sic ingeniorum quoq; grauem obrepere senectutem, existimandum esse: quippè quæ firmissimo ac propè immortali quodam quasi naturæ robore sepiantur. Nam, nî ita esset, quotus quisq; est, qui non intelligat aut primis, aut secũdis ipsa confici sæculis debuisse? Nunc verò cùm eâ vi prædita sint, vt quò diutiùs post maiores suos degant, eò vehementiùs vigeant, vireant, floreant, quid est, quòd de eorum imbecillitate addubitandum magis hoc æuo sit, quàm post Socratis Platonis, Aristotelis, Demostenis, Ciceronis, & eorum æqualium tempora dubitatum fuit? quorum tanta extitisse in omni disciplinarum genere laus creditur, vt & superiores suos omnes superâsse, & posteris omnibus, vt præluxisse, ita spem in perpetuum melioris cognitionis rerum videantur ademisse? Non est hoc, mihi credite, non est. Vt namq;

illos ipsos

illos ipsos ad ea, quibus tantoperè floruerunt, studia, maiores sui nequaquam remorari sua incredibili laude potuerunt. Ita his temporum momentis illorum magnitudo ingenij, illorum summa omnium sæculorum gloria, nulla ingenia retardare, excitare potiùs, inflammare, exemplum viuum dare ad imitandum possunt. Rerũ etiam ipsa, quod alterum desperantes iactitant argumentum, rerum, inquam, ipsa multitudo spem profectus augere discentibus, non diminuere potest. Neque enim earum aut euoluta satis, aut prompta est varietas, sed obscuro & inexplicabili quodam quasi inuolucro implicata, & vt quidam Philosophi tradiderunt, in profundo ita mersa, vt nec vnius labore, neq; vnius ætate, sed plurimorum hominũ industria, multorum sæculorum spatio eruenda videatur. Sensit id olim Romanus Sophus, dum inquit, Veniet temp⁹ quo posteri nostri, sibi aperta, nos nescisse mirentur: Et, aliquid veritati & posteri conferent. Sensit idem Columella, qui nullam esse disciplinam aut artem dicit, quæ singulari consumata sit ingenio. Sensit idem Apuleius, qui nihil omniũ esse, quod posit in primordio sui perfici, asseuerat. Itane est? Ita sanè. Quàm multa etenim sunt, quæ non dico Aristotelem,

aut Platonem, aut qui ambos ætate præcesſit, Socratem, ſed eos quoque omnes, qui aut proximo, aut longo ſucceſſerunt interuallo, etiam quærentes latuerunt, vltrò autem ſeſe noſtris aut patribus? aut maioribus prodiderunt. Quàm multò certiùs profectò & cæleſtium orbium, & ſtellarum errantium numerus & motus, ab his, quàm ab illis, eſt & inueſtigatus, & traditus? Quàm tot apparentiæ illæ, in illis luminaribus perpetuis maculæ & faculæ diligenter & lynceis quaſi oculis perſpicaciſsimè obſeruatæ? Quàm ſcitè terræ ipſius remotiſsimæ ac penitùs abditæ partes, quò non ſolùm non penetrauit antiquitas, ſed nè adiri quidē poſſe, natura ipſa repugnante, exiſtimauit, & maximo conſilio ſunt, & præſtanti animi magnitudine peragratæ? Magnus erat re & nomine, Rex & Regis filius Alexander magnus, at quàm multò maior poſt eum Megallenicus ille, qui totam mūdi terram, quâ longè lateq; iácet, Oceano vectus circuiuit, & non tam ditioni, quàm cognitioni ſuæ adſcripſit! Iam verò & ad alieniſsimas ac maximè longinquas nationes vel vſus, vel victoriæ cauſa, non modò comparata eſt reliqua nauigatio melior, ſed & res ipſa militaris ac bellica nouo & antè inaudito tormentorū genere eſt inſtru-

ctior. Rem item literariam publicam, cuius estis magna pars, an non instructiorem nunquam audito olim genere exprimendi cognoscitis? Mitto plurima in quouis disciplinarum genere vel inuēta, vel exactiùs, quàm priscis illis tēporibus, cognita & perspecta. Quæ si omnia sunt perspicua, simul illud perspicuum esse quis non videt? eandem, quæ veteribus fuit, aciem ingeniorum manere, quin si cum longo vsu, tum exercitatione multa acuatur, multò etiam præstantiorem fore? Est igitur, est, hæc in adolescente quouis prima atq; maxima proficiendi ratio, si persuasum habuerit, nihil in omni disciplinarum genere tam esse obscurum, nihil tam reconditum, nihil tam admirabile, quod non posit hominum intelligentia facilè illustrari, ingenij acumine penetrari, studio atque industria superari. Si spem animo conceperit, credat mihi fore, vt aliquando fætum progeneret, & labore suo doctrinarum arcem sūmam obtineat, vt aliquando plerosq; sui ordinis homines, longè infra se positos relinquat, & læto alacriq; animo despiciat. Nihil est, quod iuueni tantoperè noceat: nihil quod ab ingenuis disciplinis magis retrahat, quàm ad summam eruditionem ac sapientiam euadendi diffidentia.

Hæc

Hæc peſtis ingeniorum eſt, hæc fortem & audentem animum infringit, hæc diſcendi cupiditatem ardoremq́; extinguit, hæc omnes animi vires debilitat, hæc deniq; non tantùm remiſſum in ſtudiis & frigidũ, ſed etiã planè negligentem, inertem, ineptum re ipſa facit. Sed contrà; quem non erigit haud dubia ſpes propoſita? quem non incendit honor certus? quem non inflammat aperta dignitas? quos animi impetus, quas flammas, quos ardores ad diſcendum non commouent, ad opes, ad gloriam, maxima atq; certiſsima præmia? Concipienda quamobrem animo ſpes optima, concipienda? Cæteroquin enim, vt doctè Hieronymus, vbi (inquit) perit ſpes, appetendi omnis conatus perit, conſequẽdi deſperatione. Pulchrè Flauius, vbi non eſt, ait, ſpes vlla complendi, nõ eſt ratio conandi. Prudenter M. Aurelius, Cuius, dicit, conſequendi ſpes nulla affulget, eius perſequendi cupiditas animum non inuadit. Ergo certò credendum, Nihil eſſe volenti difficile. Non ambigendum Animum hominis, quidquid ſibi impetrárit obtinere: Tenendum, labores ſpem è veſtigio concomitantes, honorem parere parareque: Labori incumbendum, vbi effectus promittitur, teſte Fabio: Sciendum, Non currenti præ-

mium

mium non dari. Non ignorandū, curriculū contentione cursus desiderari, cursu sudorem excitari, sudore ad palmam perueniri. Apagesis igitur ô ignorantiæ basis in proficiendo diffidentia perniciosissima. I, pete Cymmerias tenebras, vbi nullum lumen diuinæ & humanæ sapientiæ vnquam accenditur, vbi nulli radij solis humani, hoc est, intellectus, illustrare quenquam conspiciuntur: Ibi tua, per me licet, castra metator, signa ponito, regna occupato, vmbris regnato, tenebris latitato. Neque ampliùs est, quod Cynosuram retrospicias, vel in Septemtrionem Sarmaticum pedem referre contendas. Quod si redierit, redit aliquando tamen; si animos imperitæ iuuentutis occupauerit, occupat tamen; si tenebris inscitiæ inuoluerit, inuoluit tamen, anchora firmādæ studiosæ nauis tutissima, spe videlicet optimâ progrediendi conceptâ, hoc vitium cane peius & angue fugiendum, non excipiatur, reijciatur, remoueatur, non foueatur.

Audîstis iam vnum proficientibus impedimētū, sequitur alterum præsumptio. Quintilianus ille optimꝰ instituēdæ iuuētutis magister, cōfidentiā in profectu nimiam appellat: Verùm ego lernam multorum malorum inpræsentiarum nuncu-

pabo. Quid lernam? Ita eſt. Hydra namque excetraue ignorantiæ prauæ, hanc paludem occupatam incolit. Hinc faſtus, hinc arrogantia iactabunda, hinc inanis ingenioli iactatio, hinc gloriolæ vana captatio, hinc in proficiendo mera negligentia, hinc artium earumque cultorum grauis deſpicientia, hinc inſignis ſtultitia, & , quid ego ſcio? quæ alia ſine numero, hinc oriuntur. Quid ego inquam ſcio? Scio tamen vel hoc vnum, Omnes nempè, quos obſides iſtud malum tam varium ac peſtiferum tenuerit, illos cæco ſui amore correptos, obliuiſci ſui. Didici ego Medicos morbum illum, quem animi defectionem Latini, Græci Syncopen vulgò appellitant, docere tunc accidere, quando omnium virium præceps lapſus accidit, adeò vt qui illo opprimũtur, necaudiant, nec videant, nec ſentiant, nec moueãtur, & vt vno verbo expediam, omnes functiones vitæ quaſi interceptas habent. Sed cùm diligentiús rẽ profectò diſpicio, ex præſumptione deriuatã defectionem à vera ſapientia & iſtã Syncopen, obliuionem ſui meritiſsimò exiſtimo. Aeger enim animus hoc vitio, viribus penè deſtitutus ſuis in præceps opprimendus labitur, conſiſtere ſecum nequaquàm potis eſt, iam non au-

dit,

dit, iam non videt, iam non ſentit, iam non monetur, iam quod extremũ eſt, nullis functionibus vitæ perfungitur, & mortis imagine iam adũbratur. Vultis apertiús dicam? Ignorantiâ ſummâ per obliuionem ſui obliteratur, ita vt ſi medendũ eſt, non Galeni, nõ Hippocratis, quibus clariores mundus non vidit medicos, non ipſius Chironis vel Aeſculapij, à quibus inuenta eſſe perhibetur medicina; ſed ipſius Dei Apollinis cœlitùs delapſo remedio γνῶθι σεαυτόν, vſus fuerit. Tanto morbo tantus medicus ſano conſilio, & diuinitùs dato medicamẽto vix opem ferre valet: tum demùm vix conualeſcere, hoc eſt, ſapere & proficere aliquid poterit, vbi ſe cognoſcere, qui eſt primus ſapientiæ gradus, inceperit. Quid lethe-um vitioſum amorem ſui perſtrinxero? Lipothimiam, quæ eadem cum ſyncope propinat ægris venena, niſi quod mitior ſit, nuncuparem. Etenim quid aliquid proficientem in ſapientia hominem ſui obliuiſci facit? Amor ſui; Quid ſe malè audire non audire facit? Amor ſui. Quid mentem conſtrictam habere non ſentire operatur? Amor ſui. Quid peccantes alios animi affectus progenerat? Amor ſui. Amor vitioſus ſui à nimia confidentia profectus omnium affectuum ra-

 dix,

dix, principium, seminarium. Neque ego hæc dico, quamuis dicã, dicit Maximus vir magnus, Omnium affectuum principiũ est amor sui; Finis autem superbia. Dicit diuinum spirans Diuus Gregorius, Amor sui vehementer claudit oculũ cordis, & valdè humanam mentem excæcat. Dicit supra tertium cœlum Doctorali redimitus mitra Doctor gentium Paulus, Voluptatum, hoc est, sui amatores plusquam sexcentis scatere vitijs, neq; finem, cuius gratia hunc in mundum descenderunt mortales, beatitatem illam adepturos. O

Egregiam veró laudem, & spolia ampla refertis,

qui tantùm à præsumptione profectus in bonis virtutibus artibusq;, in tot tantaq; mala vltrò citroq; proficitis. Hei reuocate gressum, si sapitis, si vos vitamq; vestram, si gloriam solidam, si fortunas vestras diligitis reuocate gressum. Multũ equidem credite proficietis, si à præsumptione ista profectus vestri recurrere cogitetis. Memineritis initium proficiendi, proficere velle, neq; se profecisse putare: vtq; non minùs verè, quàm splendidè Fulgentius, Primum scientiæ vestibulum scire quod nescias. Rectè ergo ille, Iamdudum, inquit, nostri adolescentes profecissent,

nisi

nisi se profecisse putent. Non minùs rectè & Leo Magnꝰ, ideq; Pōtifex Maximus, Nemini, ait, præsumendum esse, quod totum quod quærit inuenerit, nè desinat appropinquare, quàm ceperit accedere. Sedenim non nulli, qui ad hoc celeberrimum, tot doctißimis viris, tot præceptoribus fidelißimis, quotquot aspicitis coràm, Musas ipsas vos aspicere putetis, refertißimum gymnasium studiorum gratia concurritis, studuistis, profecistis, scholas politiorum literarum artis dicendi, disputandi, Philosophandi, curricula percurristis. Percurristis sanè, & ideò vos nihil profecisse, multis parasangis defecisse à vera & solida eruditione, augustioris & solidioris institutionis Academicæ, virtutum & disciplinarum magistri inueniūt, quia percurristis: Hoccinè est proficere, audire, scribere, discere, vt vbi à fucatis illis magisterculis vestris hùc appuleritis, nil scire reperiamini? Qui dum vos ad vulgi opinionē docent, mutata literula, vt rem acu attingam, nocent valdè, imò vos excæcant. Qui profectū suum ad eiusdem opinionis fumos retinendos in vobis dum ïactant, teneros & adhuc vix in herba vestros animos infælici oculo infascinant, qui dū è scholis suis in rem publicam vos, vel Academiā

 tali

tali profectu excultos emittunt, dementant? O miserum profectum eiusmodi adolescentum! O infelicem huiusmodi institutionem infeliciũ præceptorum! Non talem, te apello Inuictissime Princeps Diue Wladislae, exoptasti Reipublicæ Polonæ iuuentuti eruditionem, non tales voluisti professores illi præficiendos, cùm inclyti Septẽtrionis totius vnius huius Lycei fundamenta prima locares, cùm seruandas libertates aureas cõcederes, cùm dignissimos præceptores aduocares, cùm præmia & honores amplissimos proponeres, cùm hanc deniq; Academiam omnium virtutum & scientiarum parentem & fontem, tuis exornatam beneficijs perennare in votis haberes. Et perennat illa quidem fæliciter, & plurimis licet agitata fortunæ procellis, fructus à te exoptatos, à Republica expectatos fæcundissima assiduissimè parturit, gloriosissimè enititur, fructuosissimè alit. Porrò hæc dum illa studiosissimè omnia, fucatam vtiq; gloriam aspernatur, quod non Deo, non hominibus acceptum est, auersatur, huicq; aduersatur. Pallium opinionis fictæ veræ scientiæ postponit, hanc amat, illam odit, hanc prosequitur, illam persequitur, hanc colit, illam vt lacertam fugit. Nouit, nouit optimè,

Academia

Academia solidæ amatrix, imò matrix gloriæ, nouerunt celeberrimi ex ea creati professores, quod

Plenior est fastu, tantoq́; superbior omnis,
Quò virtute minùs, quò minùs arte valet.
Sic pinguedo natat, quantumuis sordida sursùm,
Et sibi supremum vindicat alta locum.
Sæpè minuta nitent auri mentita colore,
Defraudantq́; oculos lumine sæpè suo.
Quid leuius fumo? se fumus tollit in altum.
Quid vox est? tamen hæc per nemus omne fremit.
Dolia plena cient nullum pulsata fragorem,
At digito tactum vas quod inane sonat.
Horridus in solida nunquam fremit arbore ventus.
Frugis inops sursùm tollit arista caput.

Ita indocti illi, qui se doctos iam euasisse, & omnibus numeris doctrinæ absolutos esse existimant, humoribus & tumoribus istis vitiosis turgent ac tument. Sed queādmodum tumor in aliquo corporis mēbro, illud ipsum ex phlegmone inutili laborare, inspicientibus, indicio est: Nō secùs ipsa ægritudo, animi præsumptio, ignorantiæ certissimum est argumentum. Quapropter etiam minimè mirandum, si rari appareant enatentq́; ex hoc gurgite vastissimo doctissimi viri, neq; illis, quibus studiorum summa reuerentia, summus amor studiosorū fuit, æquandi, euadere inueniuntur. Illi enim priuatis non contenti Musis, au-

diendi

diendi gratia totum penè terrarum orbem peragrabant: Nos etiam eos, quos domi habemus, eruditos homines audire nolumus. Illi non triennio vel sexennio, sed etiam viginti annis plerũq; doctorem eundem audiebant. Nos, si, non dicam viginti, sed vix aliquot lectiones, audiuerimus, etiã professores ipsos à nobis superatos esse præsumimus. Illi capitis periculũ adire, modò memoria dignum aliquid audiuissent, non recusabant. Nos nè præsentes quidem, cùm doctorum hominum lectionibus intersumus, audire curamus. Tempore hoc, quo in Academia commorandi facultas datur, aut animo peregrinamur: aut colloquijs dediti familiaribus, nugamur; aut longè diligentiùs circulatorum cantiones, & mimorum ethologorum scurriles ineptias, quàm doctissimorum virorum grauissimas disputationes audimus. Quinetiam ad scholas, si quando nobis in mentem venit accedere, non ad eas discendi causa, sed tanquam ad theatrum & ludorum spectacula, gratiâ tantum voluptatis accedimus. Aut cæterùm, quod longè pessimum est, præceptoribus studia nostra dirigentibus inobedientes obstrepimus. Tales, tales sumus, (in persona loquor vestra) ô nobilissimi virtutum literarumq;

studiosi,

studiosi; atque vtinã nè simus. Ita enim hinc fit, vt cùm nihil sciamus omninò; fallimus nos tamen, & opinione scientiæ subinflati (cum Arnobio loquar) pectoris tumore tollimur. Scilicet, vt queritur Plinius, statim sapimus, statim scîmus omnia? Dispellite saltèm has ab oculis caligantibus nubes, solem veritatis intuiti, aliter in profectu quã præsumẽdum sit, cognoscetis. Curari saltèm patiamini Symptomata ista, & vlcera fætidissima animorũ, sani in omni sapientia plurimùm proficietis. Contendite igitur florentissimi adolescentes, qui estis in cursu ad summum proficiendi virtutum & disciplinarum fastidium intendite neruos omnes, vires, industriam: erit vobis vel fortunatus in proficiendo euentus, vel conatus ipse gloriosus: quin potiùs, (ominari audeo) fortunatus euentus; cùm labori & studio nulla virtutis via sit inuia, nil arduum, nil difficile, nil non possibile. Sumite vobis imitandi exempla innumera numina & lumina Reipublicæ illa magna, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Palatinos, Castellanos, Tencinios, Hosios, Rosas, Sbigneos, Oporouios, Lubranscios, Tomicios, Miscouios, Samotulscios, Ociescios, Iordanos, Liggesas, Cromeros, aliosq; infinitos, qui Laureis insi-

gnes, Pontificiâ & Senatoriâ dignitate primariâ illustres & aucti, ex hac aula Regia Musarum prodierunt, quorum quidquid adhæsit gloriæ,

Troica vincet
Secula, & Euboici transcendet pulueris annos.

Proponite vobis præ oculis illos Socolouios, Gorscios, Dobrociescios, Schoneos, & alios innumeros professores inclytissimos, quorum genio &

ingenio stat sine morte decus.

Quid pergã proponendũ, si non imitandum tutelare illud perpetuum numen Beatum Cantium, qui micat inter omnes Academiæ stellas,

Velut inter ignes,
Luna minores,

exorandum certè, vt obíces istos in proficiendo periculosissimos precibus amoueat. Sequimini viua ista ante oculos constituta exempla, Præceptores ipsos inquã vestros ac Professores dignissimos, quorum virtutem, doctrinam, laborem, industriam,

nec ventura silebunt
Lustra; nec ignota rapiet sub nube vetustas.

Concomitamini hosce candidatos meos, vt ætate iuuenili, ita profectu in virtutibus artibusq; optimis virili conspicuos; quos dum iam primâ laureâ insignire apparo, vobis missis, breuibus ap-

pello

pello. O Venerabiles Candidati mei, quia cautes istas morum & studiorum Marpesias, ac pestes perniciosissimas (præsumptionẽ desperationẽq; intelligo) cæco odio persecuti effugistis, eoque tandem ingenio acri, studio inflammato, labore indefesso, diligentiâ summâ peruenistis, quò virtutis vestræ & profectus litterarum vberrimum præmium, publicum honorem Academicũ prensatis, felices existimo. Fælices profectò existimo, quia hunc honorem & dignitatem esse à principe sede Musarum excitationem & calcar vobis ad maiora, reliquis ad similia, optimè præuidistis. Et quoniam maior virtuti vestræ aperitur campus, per hanc insignem lauream primam, pergite magis, & maiori studio, diligentiâ, atq; vigilijs eam exornate, in publicum producite, patriæ & ciuibus; omni contentione animi atq; inprimis virtute & dignitate. Etenim ita decorum est, vt probitate emineat, qui dignitate. Postulat hoc & fama vestra, quæ parum pura, si nõ vita. Omnia quippè facta dictaq; vestra iam rumor excipit, nec magis vobis, quàm Soli latere contingit. Addite & illam, quæ omnem ætatem, sexum, ordinem decet, modestiam. Sicut námq; ad corruscationem aut maiorem lucem oculos claudimus: sic vos a-

nimum debetis ab omni immodestia ad honoris hunc splendorem.

Non se meruisse fatetur,
Qui caruisse putat.

Sed quid vltra? Agamemnon apud Homerũ cùm alios prælio animâsset, ad Aiaces veniẽs negat se id facere. Neque decere apud sponte sic prõptos. Idem ego in vobis Candidati mei, stimulis parco, eorum non egentibus. Vota addo. Mens illa suprema, à qua omnis est mens, vobis eam mentẽ inspiret, vt in vsum boni publici, per hoc publicũ prœmium atq; elogium magis in dies assurgatis. Quos ego authoritate Dei Opt. Max. Sedis Apostolicæ, Priuilegiorum Academiæ nostræ concessorũ, & meâ, quâ hac in parte fungor, Vos omnes & singulos creo, facio, enuntio clarâ voce, Artiũ liberalium, & Philosophiæ Baccalaureos; doq; vobis hîc & vbiuis locorum potestatem docendi, legẽdi, disputãdi, optimos quosq; Authores interpretandi, idq; in nomine SS. & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

DIXI.